



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Corollarie præcedentis doctrinæ. c. 7.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

est, non alia ratione, nisi qui ita ad perfectionem Dei pertinet, est secundum, sicut esse sapientem: sed trinitas personarum, in quibus attenditur fecunditas non facit trinitatem perfectionum. Ex quo etiam fit, ut perfectio, & integritas, quae consideratur ex parte essentiae secundum se, praeintelligatur personis, sed quae consideratur in Deo, ut substanti in personis, non intelligatur prius, quam persona.

CAPVT VII.

Corollaria precedentis doctrinae.

EX praedicta doctrina colligitur primo, non esse in una persona aliquam perfectionem realem, nec priorem, nec posteriorem modo, quae non sit in alia, quia licet in una persona sit relatio quadam, quae non est in alia, illa tamen non est perfectio realis, nec prior, nec posteriori modo, sed solum est perfectio secundum rationem posteriori illo modo, quia nostro modo intelligendi, sicut intelligitur distincta ab essentia, ita etiam concipitur tanquam perfectio illius, ut probatum est. Deinde non est perfectio Dei priori illo modo sumpta pro integritate, sed est, quid pertinet ad illam integritatem, nostro modo intelligendi: dico nostro modo intelligendi, quia cum sit ipsa essentia, non est, quid pertinet ad illius integritatem, tanquam quid ab ea distinctum.

Sequitur secundum, unam personam non esse perfectiorem, nec digniorem alia, etiam ratione personalitatis, non dico maiorem in sensu Graecorum patrum, hoc est, priorem; sed dico digniorem, seu perfectiorem: est enim perfecta inter eas aequalitas dignitatis, quia, ut una esset dignior re ipsa, quam alia, deberet habere in se aliquam perfectionem realem maiorem, quam alia; at hoc non contingit, ut probatum est; ergo una non est perfectior, quam alia, quia tamen in una est aliqua perfectio rationis, quae non est in alia, hinc tantum fit, ut a nobis concipiatur, ut dignior, quam alia, sed non asseramus, unam esse perfectiorem, quam alia; quia id, quod conuenit ei solum per apprehensionem intellectus, non debet de illa simpliciter enunciat.

Tertio sequitur, quid dicendum sit de unitate, & veritate, quae etiam sunt passionis entis: an in Deo sint dicendae tres unitates, & tres veritates, sicut dicuntur tres relationes. Nam de bonitate, quae ponitur passio entis, idem dicendum est, quod de perfectione, ut superiori capite probauimus. Ricardus in primum d. 24. art. 1. q. 3. ad primum, putat tres veritates, aut tres unitates non esse concedendas: Ego tamen existimo, si absit scandalum, & recte intelligatur, quod dicitur, secundum proprietatem sermonis dici posse esse in Deo tres unitates, sicut dicitur esse numerus ternarius, caute tamen loquendum esse admonet Bernardus lib. 5. de consideratione, ante medium, ubi sic ait. Cum sint tres personae, quis numerum negat? nam verè tres sunt, quis numerat tamen? nam verè unum sunt. Quibusdam vero interpretis, quibus docet, non debere numerari personas, quae non sint una natura, & essentia, subdit. Dicamus itaque tres, sed non ad praedictam unitatem, dicamus unum, sed non ad consuetudinem Trinitatis. Et in Concilio Remensi, cui Bernardus interfuit, in decretis illius, quae supra retulimus, sic dicitur. Credimus solum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum aeternum esse, nec aliquas omnino res, siue

relationes, siue proprietates, siue singularitates, vel unitates dicantur, vel alia huiusmodi adesse Deo, quae sint ab aeterno, & non sint Deus, ubi non refugit Concilium concedere tres res, tres singularitates, tres unitates, dummodo dicamus, eas esse idem omnino cum essentia, & ipso Deo; sicut testimonio proximè citato dixit Bernardus, non esse numerandas personas, quae non sint ipse Deus, & quidem numerum in Deum esse ponendum probabitur articulo sequenti in explicatione illius.

De veritate autem distinguendum est, nam est quaedam veritas in dicendo, & haec una tantum est in Deo: est enim attributum essentiae, sicut est sapientia, alia est veritas, quae ponitur passio entis, & cuilibet conuenit rei, & hanc existimo multiplicari multiplicatis rebus. Paternitas ergo, sicut est entitas, habet suam veritatem, quae nihil aliud est, quam extrinseca denominatio per respectum ad intellectum potentem verè de illa iudicare, ut disputat. 77. cap. 4. notauimus, quia ergo intellectus potest verè iudicare in Deo esse tres reales relationes, aliam paternitatem, aliam filiationem, aliam processionem, easque realiter distinctas, ideo tres sunt in tribus relationibus veritates.

Quarto inferitur ex dictis, quid de infinitate dicendum sit: haec enim non est passio entis, ut constat, sed videtur esse propria Dei. Dico ergo, tres infinitates in Deo non esse concedendas, quoniam infinitas Deo multis modis conuenire potest. Prima infinitas in genere entis est, quae ponitur proprium attributum essentiae ab alijs distinctum, de quo diximus satis superque disput. 25. cap. 5. & haec una solum est in tribus personis; idem est enim infinitum hoc modo, quod non habens causam secundum esse, personae autem sunt infinitae hoc modo, sed ratione essentiae, à qua ex natura sua non distinguuntur, nam hoc habere causam, non consideratur formaliter ex parte proprietatis, sed ex parte essentiae: imò, ut dicebamus disput. 1. c. 7. & 121. c. etiam 4. proprietates, & attributa nec considerantur, ut finita, nec, ut infinita hoc modo, quare ab essentia à nobis distinguuntur, sed solum dicantur infinita ratione essentiae, cum quae sunt idem: formaliter vero in seipsis nec ut finita, nec ut infinita considerantur, ob id tamen non asserimus, ipsa esse finita, ut ibidem notauimus.

Secundum genus infinitatis est, non in genere entis, sed in proprio & peculiari genere, ut sapientia dicitur infinita, quia versatur circa infinitum obiectum, misericordia similiter, quia versari potest circa infinitum, potentia eodem modo de quo genere infinitatis, quae multis attributis conuenit, diximus disput. 103. cap. 2. & haec non conuenit relationibus formaliter; quia non videmus, quam infinitatem habeat ex parte termini, ad quem referuntur, nisi infinitatem entis, de qua primum diximus: haec autem conuenit relationibus ab essentia, cum quae sunt idem, non aliunde. Nec ex se ipsis formaliter nostro modo concipiendi, quare nec hoc secundo modo erunt tres infinitates.

Tertia infinitas Dei est immensitatis per ordinem ad locum, & haec conuenit re ipsa relationibus, quia replent omnem locum, sed eis conuenit ratione essentiae, cuius proprium attributum est immensitas, & ideo sunt, & intelliguntur ubique esse, quia sunt idem quod essentia, idcirco nec hoc tertio modo sunt dicendae tres infinitates, alioqui dicerentur tres immensitates, quod est contra symbolum

reitas
sumpta pro
passione en-
tis quomodo
in Deo
multiplica-
tur.

28.

Tres rela-
tiones non
sunt tres in-
finitates in
genere en-
tis.

29.

Nec in pro-
prio genere
infinitate
sumpta ex
obiecto.

Nec infini-
tate immen-
sitatis.

bolum Athanasij, cum ait. Non tres immensi, sed vnus immensus; quāvis enim adiectiue dici possint tres immensi, vt disput. 155. c. 8. ostendemus, substantiue tamen dici nequeūt quo sensu loquitur Athanasius, & quia substantium numeratur secundum numerum formarum, vt ibidem dicemus, non erunt dicendæ tres immensitates.

Quarta infinitas est æternitatis, seu duratiōis, de qua differendum est disput. 126. cap. 2. & 3.

Quinta infinitas est incomprehensibilitatis, & hæc etiā vna solum in Deo est: dicitur enim Deus incomprehensibilis cogitatu nostro, vel quia non potest videri sicuti est, propria virtute intellectus, vel quia cum videtur clare sicuti est, adhuc non comprehenditur, vt disput. 53. cap. 4. explicauimus, & vtroque modo non est alia incomprehensibilitas relationis, quam essentia, quia vna sine alia videri nequit, & cum videtur, tanquam quid indiuisum, & simplex apparet. Vna igitur est ratio inuisibilitatis & incomprehensibilitatis. non plures. Ex quibus constat, nullo genere infinitatis, quæ Deo conuenit, posse dici, esse in Deo tres infinitates: an vero tres existentia, & tres æternitates, saltem relatiuæ dici possint, infra disput. 136. c. 2. & 3. videbimus. Posse autem eas appellari tres res, diximus in hac disput. cap. 3. & eodem pacto existimant nonnulli, posse appellari tria entia, si cesset scandalum, seruata nihilominus vocis proprietate. Id autem intelligunt non solum adiectiue, vt etiam concedit S. Thomas in primum dist. 25. quæst. artic. 4. sed etiam substantiue, (quod ipse negat) quia multiplicato inferiori multiplicatur etiam superius, vt supra monstratum est. Al-

signat tamen discrimen S. Thom. inter hæc duo nomina transcendētia, *Ens*, & *res*, quod, *res*, significat ipsam quidditatem, & formam sine respectu ad esse, & ided cum sint in Deo tres relationes, veluti tres formæ, sunt etiam tres res; at *ens*, significat quidditatem sub esse; & quia in Deo est tantum vnum existentia, ided vnum tantum ens in Deo dicitur esse, non tria. Alij vero non improbanda ratione censent, *ens*, & *res*, denotare formam eodem modo, eo quod vtrumque eodem modo transcendens sit, vtrum autem dici possint tria indiuidua, an non, dicemus infra quæst. 29. artic. 1.

Vltimo colligitur, non omnem realitatem, aut entitatem Patris communicari Filio, nec omnem realitatem Patris, & Filij communicari Spiritui sancto; nam personales proprietates sunt veræ realitates, & entitates, & non communicantur. Quare illud Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*. Et Ioan. 17. *Omnia mea tua sunt, & tua mea*, & similia intelligenda sunt de essentialibus, non de personalibus. Nam in Concilio Florent. sels. vlt. in literis vniōis dicitur: *Omnia quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo dedit gignendo, præter esse Patrem*. Et Damas. lib. 1. de fide, cap. 9. *Quosq. vt omnia quæ Pater habet, Filij sint, hoc vno excepto, quod ingenitus non est, quæ quidem vox, nec nature discrimen, nec dignitatem, atque auctoritatem, sed existentia modum indicat, esse autem patrem, seu paternitas ipsa, aut motus ille existendi est entitas aliqua; dicimus enim esse tres realitates in Deo, aut tres entitates, quæ sunt tres relationes, & tres modi existendi; ergo aliqua entitas vnius personæ non communicatur alteri. Sicque intelligendi sunt Hylarius 3. de Trinitate, Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 4. Isidorus*

lib. de summo bono cap. 15. cum afferunt, omnia quæ sunt Patris esse Filij, sed de hoc iterū disput. 159. cap. 3. & hæc sufficiant circa doctrinam autem huius quæst. 28. Nam quod hic cum Caiet. disput. 4. tari solet de distinctione realis rationis creatæ, à suo fundamento, & absoluto cui proximè uesti ad metaphys. pertinet, nec quidquam ad intelligendum mysterium Trinitatis conducit, illud sufficiat obiter adnotare, quotiescūque fundamentum non potest esse sine relatione, non potest recte probari distinctionem ex natura rei; quoties autem separari potest, optimè probari distinctionem huiusmodi, quæ licet non sit rei à re, est tamen modi à re, cuius est modus; nam, vt res à re differunt ea, quæ ita mutuo possunt separari, vt vnum sine alio, & contra existere possit. Nihilominus de hac re aliquantulum tractabit infra disput. 173. cap. 3.

ARTICVLVS III.

Vtrum relationes, quæ sunt in Deo, realiter ab inuicem distinguantur.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod relationes, quæ sunt in Deo, realiter ab inuicem non distinguantur. Quæcumque enim vni, & eidem sunt ea, quæ sunt, sibi inuicem sunt eadem. Sed omnis relatio in Deo existens est idem secundum rem cum diuina essentia. Ergo relationes secundum rem ab inuicem non distinguuntur.

2. Præterea. Sicut paternitas, & filio relatio secundum nominis rationem distinguuntur ab essentia diuina, ita, & bonitas, & potentia. Sed propter huiusmodi rationis distinctionem non est aliqua realis distinctio bonitatis, & potentie diuinæ. Ergo neque paternitatis, & filiationis.

3. Præterea. In diuinis non est distinctio realis, nisi secundum originem, sed vna relatio non videtur oriri ex alia. Ergo relationes non distinguuntur realiter ab inuicem.

Sed contra est, quod dicit Boet. in lib. de Trinitate. quod substantia in diuinis continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem: si ergo relationes non distinguuntur ab inuicem realiter, non erit in diuinis Trinitas realis, sed rationis tantum, quod est Sabelliani erroris.

Respondeo dicendum, quod ex eo, quod aliquid alicui attribuitur, oportet, quod attribuantur ei omnia, quæ sunt de ratione illud. Sicut cuiusque attribuitur homo, oportet, quod attribuantur ei esse rationale. De ratione autem relationis est respectus vnius ad alterum: secundum quem aliquid alteri opponitur relatiue. Cum igitur in Deo realiter sit relatio (vt dictum est) oportet, quod realiter sit tibi oppositio. Relatiua autem oppositio

30.
Nec infinitate incomprehensibilitatis.

Tres relationes dici possunt tria entia, & 17. res, etiam sub huiusmodi.

37.

Non communicari filio omnem Patris realitatem. Mat. 11. Ioan. 17.

Concilium Florent.

Damas.

Hylarius, & Cyrillus.

in sui ratione includit distinctionem. Vnde oportet, quod in Deo sit realis distinctio, non quidem secundum rem absolutam, quæ est essentia, in qua est summa unitas, & simplicitas, sed secundum rem relatiuam.

Ad primum ergo dicendum, quod secundum Philosophum in 3. Physic. argumentum illud tenet, quod quæcumque vni, & eidem sunt eadem, sibi inuicem sunt eadem, in his, quæ sunt idem re, & ratione, sicut tunica, & indumentum: non autem in his quæ differunt ratione. Vnde ibidem dicit, quod licet actio sit idem motui, similiter, & passio, non tamen sequitur, quod actio, & passio sint idem: quia in actione importatur respectus, ut à quo est motus in mobili: in passione vero, ut qui est ab alio. Et similiter licet paternitas sit idem secundum rem cum essentia diuina, & similiter filiatio, tamen hæc duo in suis proprijs rationibus important oppositos respectus. Vnde distinguuntur ab inuicem.

Ad secundum dicendum, quod potentia, & bonitas non important in suis rationibus aliquam oppositionem. Vnde non est similis ratio.

Ad tertium dicendum, quod quamuis relationes, propriè loquendo non oriuntur, vel procedant ab inuicem, tamen accipiuntur per oppositum secundum processionem alicuius ab alio.

Explicatio, & confirmatio doctrine art.

Conclusio articuli est. In Deo est realis distinctio, non secundum rem absolutam, quæ simplicissima est, sed secundum relationem. Est autem de fide 3. in c. firmis, de summa Trinitate, & fide Catholica nam dicitur, Hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam indiuidua, secundum proprietates personales discretæ, sunt autem in omnium sententia proprietates personales relationes. Et in Concilio Toletano in confessione fidei dicitur, Hæc ergo S. Trinitas, quæ vnus etiam verus est Deus, nec recedit à numero, nec capit numero, in relatione enim personarum numerus cernitur, in diuinitatis vero substantia, quid enunciatum sit, non comprehenditur, ergo hoc solo numerum insinuant, quod ad inuicem sunt, & in hoc numero carent, quod in se sunt. Idem Boeth. libro de Trinitate circa finem, substantia (ait) continet unitatem, sed relatio multiplicat Trinitatem. Hinc etiam commune illud axioma Theologorum desumptum ex Anselmo, ut infra disput. 147. cap. 4. referemus ortum habuit, in diuinitas omnia sunt vnum, ubi non obuiat relationis oppositio.

Sed obseruandum est cum Caietano in hoc articulo, S. Thomam indefinitè quæsiisse, verum relationes in Deo realiter distinguantur, & in fine respondisse, realiter distinguuntur; hoc est, aliquas illarum realiter distinguuntur: Nam spiratio actiua à paternitate, & filiatio non distinguuntur realiter, atque S. Thomas, solum insinuat distinctionem realem inter relationes oppositas, omnes autem

non opponuntur inuicem.

Cæterum, ut probet suam conclusionem, assumit in ratione hanc propositionem: Quoties aliquid attribuitur alicui, attribuitur omnia, quæ sunt de ratione illius. Obijcit autem Caietan. in hunc modum. Deo attribuitur sapientia, de cuius ratione est esse formam accidentariam, & tamen Deo non attribuitur sub hac ratione; ergo similiter quamuis Deo attribuitur relatio, non est necesse ut tribuatur id, quod est de ratione illius, nempe oppositio relatiua. Respondet de ratione sapientie non esse, quod sit forma accidentaria, sicut est de ratione relationis oppositio. Quæ solutio si rectè intelligatur optima est; nam si consideretur sapientia secundum totam suam communem unitatem & analogiam, ut complectitur creatum, & increatum, de ratione illius non est, esse formam; quare, si Deo attribuitur, non sequitur, tribuendam esse sub ea ratione, quæ est forma accidentaria, sed altiori ratione. At de ratione relationis, quantumvis vniuersè consideretur, est oppositio relatiua, hoc est, ipsam necessario semper consequitur oppositio: si ergo Deo tribuitur relatio, necessario etiam oppositio relatiua debet conuenire.

Obijcit diinde: Vni albedini conuenit relatio similitudinis ad aliam, & tamen ipsi intra se non conuenit oppositio relatiua, sed vni conuenit respectu alterius extra se ipsam, ergo satis est, si dicamus Deo conuenire oppositionem relatiuam, sed respectu alterius extra ipsam; Respondet bene Caietan. omni relationi, quæ habet rationem in alio extremo, semper conuenire oppositionem relatiuam respectu alterius: Deo autem, quia conuenit relatio inter seipsum, quia inter se aliam personam producit, conuenit oppositio relatiua intra se ipsam, & ideo relationes aliquæ ipsi intrinsecè inuicem opponuntur, & distinguuntur realiter. Et hæc circa textum articuli.

DISPUTATIO CXXII.

Quomodo mysterium Trinitatis non aduerfetur illi principio, quæ sunt eadem vni tercio sunt eadem inter se.

Principium hoc non esse contra mysterium Trinitatis, variè defendunt Scholastici, cap. 1.

Vera expositio prædictæ propositionis non opponitur mysterio Trinitatis, cap. 2.

Formam syllogisticam, ut à Logico assignatur, non minuit in diuinitis, quam in humanis legitimam esse, cap. 3.

CAPVT I.

Principium hoc non esse contra mysterium Trinitatis variè defendunt Scholastici.

Cum fidei nostræ mysteria ita sint super caput naturalis intelligentiæ, ut tamen rationi naturali non aduerfentur; fatentur omnes Scholastici principium illud commune, & satiscritum, Quæ sunt eadem vni tercio, sunt eadem inter se, mysterio Trinitatis non opponi. Cum tamen videamus, tres esse personas realiter distinctas, quas non distingui ab essentia ex natura rei, probauimus disput. 120. atque adeo in hoc mysterio Trinitatis relationes, & personæ sunt idem cum essentia, quæ tamen non sunt idem inter se, varijs modis Scholastici conantur ostendere, rationi naturali, & veræ Philosophiæ principijs mysterium hoc non aduerfari.

Et

Obiectio
Caiet. contra
conclusionem
rationis

34.

Secunda
Caietan.
obiectio.

Vera eiusdem
solutio.

1.
In quo conueniunt
omnes.